



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 1. Quando dici possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

VI. Præfatio propria dicitur, si eam habet Missa *Votiva*; si non habet, dicitur de Tempore, vel *Octavâ*, vel *Communis*. Infra *Octavam* tamen *Nativitatis* dicitur Præfatio de *Nativitate*, licet *Votiva* propriam habeat. *Communicantes*, & *Hanc igitur*: dicitur, si *Votiva* dicatur infra *Octavam*, quæ illud habet. Gavant. *tit. 12. litt. G.*

VII. Pro *Evangelio* ultimo in his *Missis* semper *S. Joannis* *Evangelium* sumitur.

TITULUS III.

DE MISSIS PRO DEFUNCTIS.

ETiam de his tria consideranda veniunt. 1. Quando dici possint. 2. Quæ Cæremoniæ in ijs sint observanda. 3. Quomodo Absolutio peragenda sit.

§. I.

Quando dici possint.

I. *Missæ* privatæ pro *Defunctis* dici possunt quocunque die, quo licitum est *Votivam* *Missam* celebrare. Gavant. *p. 1. tit. 5.* Imò etiam in *Duplici* *Festo* (modò non *Christi* *solemne*) dici posse talem *Missam*, docent *probi* *Authores* apud *Dianam* *p. 3. tr. 6. resol.* si tamen id exigat. Verùm quia *Alexander VII.* & *Clemens IX.* speciali decreto veruerunt, ne in *Duplicibus*, ejusmodi *Missæ* *votivæ* legatur, concesseruntque, ut *Indulgentiæ*, quæ alioqui non nisi per *Missam* de *Requiem* in *Altari* *privilegiato* obtineri poterant, etiam per *Missam* de *Festo* *occurrente* dictam impetrari queant, ideo saltem, ubi promulgatum est ejusmodi decretum, observari debet. Sed infra *Octavam* *Corporis* *Christi*, *Missæ* de *Requiem* pro *Defunctis* prohibitiæ sunt nisi Decreto *Clementis X.* die 21. Junij 1670.

II. In *Dominicis* & *Festis*, quæ non sunt primæ *Classis* *Missam* *insepulto*, hoc est, præsentem *corpore* in *Ecclesia*, cessit *S. Rituum* *Congregatio* 25. Maij 1603. quod *Arnoldus* *p. 1. tit. 5. num. 4.* intelligendum putat de *solemni* *Missam* tantum, non de *privatis*, quæ etiam præsentem *corpore* non possunt in *Dominicis* aut *Duplicibus*.

III. Nota, quòd, cùm Rubrica *tit. 5. n. 1. & 2.* dicit, debere prima die Mensis, & Feria II. Hebdomadæ Missam *Conventualem & Principalem* fieri pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & alijs, si Duplici vel Semiduplici non sint impeditæ, & tempora Adventûs, Quadragesimæ, & Paschale non currant, nullo modo de privatis Missis intelligenda sit, unde sine culpa omitti possunt, siue Missa ipsa, siue Commemoratio tantùm præscribatur, & si legatur Missa, per modum votivæ legenda est. Arnaud. *tit. 1. n. 3.*

§. II.

Quid observandum sit in talibus Missis.

Ritus Communis.

I. **S**I Missa pro Defunctis dicenda sit inter tertium & septimum, vel inter septimum & trigésimum, Missa quotidiana, & non una ex supradictis dici debet.

II. Non omittuntur oscula Paramentorum, cùm se Sacerdos induit. Gavant. *p. 2. tit. 13.* sed omittitur Psalmus *Indica*. Non signat se Cruce ad Introitum, sed librum, quasi aliquid benedicens, sinistrâ interim super librum positâ. Non dicitur *Gloria Patri* ad Introitum, nec ad *Lavabo*. Omittitur *Gloria in excelsis. Iube Domine benedicere*. Osculum libri in fine Evangelij cum verbis tum dici solitis. Omittitur *Credo*. Benedictio Aquæ. Percussio pectoris ad *Agnus DEI*. Oratio pro Pace. Benedictio Populi. Minister quoque non osculatur ampullas, quas Celebranti porrigit. Gavant. *l. c. litt. R.*

III. Quando omisso Sacro funebri celebratur Festivum, non opus est, ut Collecta funebris inseratur, etiam præsentem corpore; imò nec licere quidem in Duplicibus, adversus Navarr. docent Gavantus & Fraxinellus apud P. Gobat *n. 625.* eò quòd Rubricæ non permittant ijs diebus plures Orationes, nisi pro re gravi. Unde qui ordinariè id factitaret, censetur inducere novum Ritum, quod tamen prohibet Clemens VIII. in Bulla Missali præfixa. Ex quo fundamento etiam reprobatur idem P. Gobat *n. 626.* praxin illorum Religiosorum, qui in omnibus Duplicibus per annum Collectam pro Defunctis subjungunt Orationi de Festo, ut ex indulto Gregorius XIII. à pœnis Purgatorij liberent Animam, prout